[illegible]

DISSERTATIO
EX JURE GENTIUM;

Prælectionibus quotidianis in Collegio Juridico Universitatis Cracoviensis

M. FRANCISCI ANTONII
CWIERZOWICZ,

Utri: Juris; actualis Processûs criminalis Professoris, Collegæ dicti Collegii, Judiciorum Consistorii General. Cracov: & trans Vistulam Assessoris, Approbandor. in Diœcesi eaqué specialiter pro Regnis Galiciæ & Lodomeriæ Concursuum ad Parochiales Ecclesias Juris Patronatûs REGII; deputati Examinatoris,

Objectis satisfaciente
V. D. ANTONIO *de Swięcice* SWIĘCICKI,
Primæ Laureæ in AA. LL. & Philosophia Candidato,

Ad publicè disputandum

PROPOSITA.

Annô Domini 1780. Mense Scholasticis Actibus destinatô Juliô.

CRACOVIÆ

Typîs Seminarii Episcopal: Acade: Diœce:

Hìc ubi Divæ Themidis ſacratos
Juris AUGUSTI colimus penates,
HIC habet Consi Tripodem.

Neotericus *in panegyric.*

Immota Catonis
Secta fuit; ſervare modum finemqué tenere,
Naturamqué ſequi Patriæqué impendére vitam.
Non ſibi, ſed: toti genitum ſecredere Mundo. Lucanus *lib.* 2.

AD
ILLUSTRISSIMUM DOMINUM
STANISLAUM
Poray
GOCZAŁKOWSKI,
BURGRABIUM ARCIS CRACOVIENSIS, TRIBUNALIS REGNI EX PALATINATU CRACOV. JUDICEM DEPUTATUM, DOMINUM MÆCENATEM AMPLISSIMUM;

DEDICATORIA.
ILLUSTRISSIME MÆCENAS.

HUmanitate peccare neminem; adeòquè honorem in honorante esse: bellè persuasus, Dissertationem modernam præliminarem ex jure Gentium ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONI VESTRÆ *meritò statui esse nuncupandam. Si enim verò* Gentium Doctore *sic perhibente* (a) *cui honor, honor sit deferendus*

 ILLU-

(a) Romanorum 13. v. 7.

ILLUSTRISSIMÆ Dominationi Vestræ Tribunalis Regni *judiciaria perindequé alta* JUDICIS *potestate fungenti, præsens opella tantamquantam ex se significare sufficiat; ascribit deferentiam. Vicenos circiter ante annos quum hìc in Schola Regni alias profitens ad Facultatem juridicam mentem animumqué meum convertere pararem* ILUSTRISSIMAM Dominationem Vestram *propensum erga me, atqué in genus benevolum prout semper comperi, hodiedum experior. Matrem bonarum Artium & Scientiarum* Cracoviensem Universitatem, *Cujus Filiam* Posnaniensem Academiam ILLUSTRISSIMA Dominatio Vestra *ornando; studiîs humanioribus in tenera adhuc ætate coluit, quantùm Cordi habet; pluribûs documentis tanquam Actis authenticis multoties consignare non desistit, illaqué ipsa, prima semina eruditionis (dicere non prætermittam navatæ graviter applicationis) reapse demonstrant, adquantam & quàm uberem Communis* Patriæ Boni *indies proveniunt; & jam cumulaté satìs frugem provenerunt?* (b) *Decori* Domûs DEI *in Matrice* Cerekiew *cum* ILLUSTRISSIMA *præcellentium dotum* Consorte *ex præclara* Radwanorum *Gente* JÚLIANNA

de

(b) Matt. 7. ỷ. 15.

de Dębſkie. Materna, *verò de* TĘGOBORSKIE Capitaneor. Bochnen. Familia. *unà Filialis in* Okulice Ecclesiarum Patroni *sive Collatores*, Gloriæ DEI T. O. M. *quantùm afferre quotidie ſtudetis augmenti; Gentilitium* DĘBSCIANÆ Domûs *hæreditariæ in principali dictæ* Cerekiew *totiusquè Avitæ de* Dębe *Propaginis* (*Cui* Maternæ *in* Magnificis; JOANNE Camerario Graniciali Diſtrictûs Proſſovicensis, Illuſtri ac Magn. ANNÆ de NIEMIERICIIS Castellanidi Połanecensi & SAMUELE Præfecto Cohortis Exerc. Reip. Polonæ SWIĘCICCIÆ *Jaſtrzębiec* de Domo *nuptis*, SZWYKOWSCIIS. *educandæ, per plures æstates curas literatas impendebam*) RADWAN Gentilitius, sive *Vexillum Sacrum: Stemmaticum* DOMUS; *teſtatur. Haud novum siquidem* DĘBSCIORUM Domui: *ornare Aras, memores ſunt ad hodie faſti, quomodò* PAULUS DĘBSKI *primùm* Canonicus *pòſt* Suffraganeus Cracovien. & Epiſcopus Laodicensis; Eminentiſſimo CARDINALI Principi RADZIWIŁO Epiſcopo Crac. *charus fuit. Quomodò,* Patriæ *in amoribus fuere.* (c) PAULUS & MARTINUS. *Qui* Electionem

VLA-

(c) Matthæus, & Petrus DĘBSCII; Expeditione bellica Legionum pedeſtr: ſub STEPHANO REGE Poloniarum Inſignes. *Paprocki. fol.* 417.

VLADISLAI IV. Poloniar. REGIS. *subscripsere.* JOANNES *item.* Episcopus Belinensis, Suffraganeus Premysliensis, CHRISTOPHORUS Pincerna Lidensis, CASIMIRUS, STANISLAUS, Ensiferi Terræ Cernensis DĘBSCII Prædecessores, *præclara vestigia famæ, post se reliquerunt. Imò: innuisse hìc pèrgratum & decorum: qualiter Nobilissimam Suam progeniem* ANDREAM *ad magnam spem ante ulteriorem Studiorum cursum formandum.* Pinczoviensi Academico *non pridem* ILLUSTRISSIMA Dominatio Vestra *credidit* Gymnasio,*ubi, inter ludos Scholasticos flexam ætatulam exercens, ita* Cor ILLUSTRISSIMÆ Dominationis Vestræ Paternum *oblectat, ita docentium animos demulcens; præsagire jubet, Se,* Coronam Patris: *idqué, non unâ; olim, imbutum velle: & fore Minervâ, desideria & exspectationem de se præconceptam præcocibûs animi virtutumqué jam coronat qualitatibus, verè Nomen* decori implens ANDREÆ. *Juris demum qùam edecumata & gravia, ceû quædam* Oracula *responsa ab* ILLUSTRISSIMÆ Dominationis *ex promptu prodeunt ingenio, adcurata, illius, & præsertim* Patrii *notitiâ, quantùm pollens!* Commissiones, Condescensiones Judiciariæ, *in ardu-*

in arduis & perplexis occurrentibus hinc inde: differentiis, prudentiâ & dexteritate gestæ, Deputationes *magna gravitate expeditæ, aliaquè in genus, nunquam quæcumquè obvia, sed, magni semper ponderis agitata* in Republica, cum Proceribus Regni *multoties tractata & habita, ne modò isthæc* REGALIS *Judicii* de Alto *potestas; tanquam suum corpus umbra; indicant sequuta. Asst: extemplò an extemporaneè propè hæc parando: consultò multa prætereo, apprimè siquidem nota publico, illa;* Nominis ILLUSTRISSIMÆ Dominationis Vestræ digna Prosapia, (d) *Divi* Archipræsulis ADALBERTI *multarum* Gentium & *Polonæ* Apostoli, *in* PORAITIS *pervetustis*, Martyrio *profusum* torrente, *Sanguinem influens; meritorum in* Rempublicam Polonam *nempe nostratium amplitudo; ingenium vastum, atquè solidè doctum in Jure Caput, Os disertum, verbô: illa profundi vis ingenii, ex fronte ipsa, cuivis, inquantùm* Politici Statûs & *rerum illius versantium gnaro; legenda.*

(d) *Miechovita Lib:* 2. *epist:* 31. Catharina GOCZAŁKOWSKA Abbatissa *Annô* 1630. altera. Francisco BOROWSKI; *Item:* MALCZEWSKA Judicis Terrestris Posnanien. Filiastra. Illri Magn. GOCZAŁKOWSKI. in Matrimonium elocatæ. *Niesiecki, Tom.* 2.

da. Sui proinde impræſens istud est Decretum *meriti.* ILLUSTRISSIME JUDEX DEPUTATE. *Suæ; publicis experimentîs tanquam aurum igni probatæ; Civili ipſa æquitate ſuper* æquo & bono *ſundatum:* Sancitum Virtutis, *quod breviusculam hanc* ex jure Gentium *collectam opellam, in sinum benevolentiæ offero,* à Supremo omnium Bonorum Largitore *deprecor; ut* Gentilitiam Roſam *rore* cœleſtium Benedictionum *plus, ultra, copiosiùs perfundens; vegeta incolumitate, omnigena diu faciat cum* ILLUSTRISSIMA vitæ Socia & Chariſsimis Pignoribus, *proſperitate vigere, ita nimirum: ut eòuſqué ſub* Labaro Sacro Domeſtico. *honor* Antesignanum *agat. donec tandem; Coelum Secum æternos dividat triumphos. utpotè* Nomini & Honori

ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ MÆCENATIS AMPLISSIMI,

devotus & obſequiosus Servus
Author opellæ.

Nihil vetutis æquè ac nobis notius, qùam; DEI essentiam: ire per omnes terras tractusquè maris, cœlumquê profundum. Antonius Genuen. *de Lege Naturæ Dissert.* 2. *pag.* 356.

Veteres mortales omnia in communi possidebant, ùt cùm caperent; juris inducti Gentium, sua quilibet accipere arbitraretur, nec furtô teneri. *Idem ibid. pag.* 360.

Nulli præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, servos, Reges & exules, non eligit domum, non censum, nudo homine contenta est. Seneca *de benefic. lib. 3. cap.* 18.

Nec est quisquam Gentis ullius, qui ducem naturam nactus: ad virtutem pervenire non possit. Cicero *de Legib. lib. imô.*

IN NOMINE DOMINI. Amen.

DISSERTATIO
præliminaris
ex Jure Gentium.

§. 1mus
De existentia juris Gentium.

Supposita societate à gentibus inita; evidens est opus esse normâ secundùm quam in commerciis negotiis & actionibus publicis rite societas instituatur. Isthæc autem norma non est jus naturale, ùt infra demonstrabitur, nequé jus est particulare positivum, adeòqué per justam consequentiam est jus commune quod Gentium appellamus. Nequé fas erit in dubium vocare; quomodònam fieri possit? ut Gentes omnes mutuò consentiant, quum omnes convocari haud possint ad unum concilium, istud tamen fieri necesse esset ad omnium consensum cognoscendum. Ad jus siquidem Gentium

constituendum, necessarius non est consensus verbis expressus, adeòqué non erit necesse ut gentes convocentur ad generale Concilium orbis terrarum; sed satis est, esse consensum tacitum, quem Gentes omnes significaverint usû & observatione rei alicujus tum unanimi in eos animadversione qui temerè ausi fuerint non observare.

§ 2dus.

De illius differentia à jure Naturæ.

Posito jam quòd detur in hominum societate jus Gentium. quæri solet. an à jure naturæ specie differat? *Hobbesius.* qui legem naturalem dividit in naturalem hominum & naturalem Civitatum. hanc secundam ait vulgò appellari jus Gentium. *Puffendorffio* hæc placet opinio, is siquidem nixus principiô socialitatis *lib. 7mô. mox cap. 1.* tractat *de causa impulsiva constituendæ civitatis.* sequenti de *interna Civitatum structura.* sicqué juris Naturæ esse arbitratur, ea quæ sunt reipsa *juris Gentium. Puffendorffium* sequuntur *Thomasius* aliiqué protestantes; aft non solùm differre jus Gentium à jure Naturæ ex professo existimamus,

mamus, verùm etiam multifariam differe, in aliquibus tamen utpote in genus jus cum jure, & parum abest quin secum in aliquo conveniant.

1*mò*. *verò* differunt inster se ratione *finis*. nam juris Gentium finis est Gentium utilitas sive hominum societatis felicitas. duntaxat *externa*. nequé præsenti vita perennior, sive durabilior, nequé simpliciter necessaria Naturæ. sed tantùm moraliter, ad hoc ut Gentes inter se communicent, Jus autem Naturæ pro fine *primario* habet hominis propriam felicitatem, ùt homo est, hoc est interiorem, nequé terminô hujus vitæ, nempe præsentis circumscriptam, sed in perpetuum duraturam. Ista hominem informat officiìs erga DEUM atqué se ipsum, pro fine *secundario* habet felicitatem hominis propriam non essentialiter sed integraliter, supposita tamen societate ad felicitatem publicam obtinendam.

2*dò*. Differunt in *Objectis*. Jus enim Gentium objecta habet non absolutè necessaria, ideoqué *ut Ciceroni placet* ex Gentium opinione proficiscitur, quæ

est de majoribus commodis societatis humanæ - ejusmodi sunt. - Immunitas legatorum. jus commerciorum. & alia. Jus verò Naturæ objecta habet necessaria simpliciter, ideoqe ùt loquitur *Cicero pro Milone num.* 10. *Est enim hæc Judices non scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, verùm à natura ipsa arripuimus, hausimus expressimus, ad quam; non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus.* ex evidentia potiùs *naturali* oritur, hoc est ex principiis vel per se notis, vel ex conclusionibus, quas Maximas sive veritates vocamus; inde deductis.

3*tiò*. Differunt in *constitutivis*. quodqué eorum propriis. *Jus enim Gentium* est jus non scriptum, sed inductum moribûs Gentium usuqué diuturno; qui consensùs taciti imò & universalis est signum, *jus verò naturæ* est jus scriptum in hominum cordibus; rationi maximè conveniens quinimò illi cognatum, aut satius innatum, nequé hominum voluntate sancitum.

4*tò*. Differunt in *Causis*. Causa enim efficiens *juris Gentium* est voluntas-

luntas Gentium *hinc* eſt qùod eo jure non obligantur, Gentes; quæ jus illud non acceptârunt. exempli cauſâ: *Sinenſes* haud obligantur ad excipiendos *Polonos* Mercatores. eò quia jus commercii inter ſe & *Polonos* non admiſerunt. *Cauſa verò Juris Naturæ* eſt DEUS. ùt Author naturæ.

Differunt item in *proprietatibus*: jus enim *Naturæ immobile eſt*, jus verò Gentium mutari potest, quum preſſè loquendo ex hominum voluntate dependeat.

2*dò*. Jus Naturæ eſt *univerſale*, omnesvé, obligat, & sicubi non obſervetur; id ex errore contingit. *Jus verò Gentium* non ſemper eſt *univerſale*, ſed fere ſemper, nequé ſemper ad omnes pertinet, ſed ad plerosqué vel ſaltem ad eos omnes qui ſunt moribûs cultiores, hinc sine errore poteſt alicubi non obſervari. exempli cauſâ inter Gentes quæ commercia externorum non admittunt.

§. 3*tius*

De convenientia erga ſe utriusqué.

CONvenit jus Gentium cum jure Naturæ

turæ; utriusqué enim finis eſt felicitas publica ſocietatis humanæ, utrumqué eodem fere modo eſt exortum, cum genere humano, quum sit utrumqué ſuapte omnino rationi conveniens. Ait: qua ratione eſt exortum cum Genere humano *Jus Gentium*, variis varia; plerisq; non tamen omnibus placet eorum ſententia. qui dicunt *Jus Gentium* inductum eſſe à purimis hominibus, poſteàqùam in ſocietatem convenerunt, exercendo videlicet actiones quasdam ad rectè conſtituendam ſocietatem pertinentes; exempli causâ: admittendo Legatos, commercia inſtituendo, *&c.* Placuerunt actiones ejusmodi primùm Gentibus inter ſe finitimis, ſvadente publica partim ſecuritate partim utilitate. Aliæ Gentes deinde commoditatem ejusmodi obſervantes; imitatione & conſenſu iîs ſe moribus imbuerunt, longo pòſt tempore transierunt in leges ex Juſtitia publica obligantes, quas Leges Jus Gentium adpellamus. exemplum habemus in Lacedæmoniis vel Spartanis quorum RembublicamLycurgus inſtituit

ex imi-

ex imitatione Cretensis Reipublicæ. Item: in Romanis; qui *Leges illas XII.* tabulîs comprehensas ab Atheniensibus acceperunt. in gentilibus denique *Josepho hebræo* testante in libro 1mo *contra Appionem*, multa è judæorum scitis didicerunt, sibiqué propria fecerunt. Quid? quòd Gentes aliquando subactæ ita bonam Victoribus gratiam retulerunt, ut suos mores artesq; optimas in eos transfunderent. sic *Horatius* de Græcis victis à Romanis victoribus cecinit:

Græcia capta ferum victorem cepit. & artes
Intulit agrestes Latio.

His constitutîs: facilè est jus Gentium definire, imò jam & dividere, ad quod fit breviusculè.

§. 4tus.

De definitione & divisione Juris Gentium.

Est ergo jus Gentium. *Ordinatio rationis longo usu Gentium ex consensu DEI societatis humanæ Gubernatoris inducta; ad Gentium publicam utilitatem & societatis intér se conservationem.* ex qua definitione adhuc liquet. societa-

cietatem inter Gentes initam esse ex Jure Naturæ *concedente. non obligante* ad societatem ineundam. poterant enim homines seorsum vivere si voluissent, ùt modò possunt, qui volunt, *Leges* autem *Naturæ* sunt quæ omnes simpliciter obligant. hinc ruit poenitus argumentum.

Dividitur *Jus Gentium in affirmativum & negativum*. primum est quo aliquid jubetur. ùt admissio Legatorum. alterum quo aliquid vetatur. exempli causâ. ne arma & fontes venenô inficiantur ad mortem hostibus inferendam. *Primum* non obligat ad semper, namqué ad illud semper implendum haud sufficient humanæ vires, sæpenumerò valde imbecillæ. *Secundum*. obligat ad semper. propterea, quia vires humanæ semper sufficiunt ad actum vetitum omittendum; prout etiam hoc ipsum in præceptis Divinis *Decalogi* solet demonstrari.

Jus Gentium in genere est omne id quod intendit veluti finem suum: convenientem communicationem, & utilitatem Gentium, unde si opportunè hìc quæ-

quæreretur. *Quinam sit effectus juris Gentium?* responsum facile haberi potest. Esse obligationem legalem ob quam Gentes tenentur parere iis quæ decreta sunt communiter. id verò constat ex Gentium adsensu communi, quæ ex horrescunt & indignantur, si hanc legem quam sanctissimam vocant; aliquando videant violari. Quocirca: hæc obligatio non homines duntaxat quos privatos, sed ipsa summa Mundi Capita afficit. Itaqué Juri Gentium obtemperare tenentur maximi Reges, jubente DEO. Qui societetem humanam hoc jure tenet, atqué conservat, imò non tantùm singulos mortales per leges rationales ad destinatos Mentis suæ æternæ fines dirigit, sed infernas etiam gentes mutuis officiorum nexibûs vult esse obstrictas, ac juris Naturæ vinculô colligatas. Vigent tamen inter Gentes & alii quidam nexus quos DEUS liberos reliquit, pro arbitrio à Gentibus introducti, altera Gente alterius ope indigente, ut quantùm religionibûs sejunctum; tantùm communi commercio tanquam vitæ socialis atqué

commu-

communis felicitatis & prosperitatis vinculô colligatum sit humanum genus. Inde enatum illud sacrosanctum populis quos politior cultus ac dignitas commendat: jus Gentium, ad quod appellare solent integræ nationes, si fortè ab altera violatum illud esse contigerit. Quàm autem compertum habemus ejusmodi *Jus Gentium* existere; tam controversum esse videtur. *In quo consistat?* & quousqué obiectum acsi quoddam honorificum illius regnum sese exporrigat? tum & an juri naturali? an positivo? Divino an humano? sit accensendum? an verò novam ab istis speciem juris constituat. quod non nihil declarabit objectum juris Gentium.

§. 5tus.

Quæ pertinent notabiliùs tractanda in Jure Gentium?

IN specie pertinent ad jus Gentium. *primò.* Primæva rerum *divisio.* Quanquam enim natura humano Generê jam propagato requireret aliquod medium ad vitanda incommoda multitudinis: non tamen hoc medium divisionis determinatè requîrebat. 2*dò.*

2do. *Divisio Gentium & Regnorum*, nam licètsi humano Genere propagato Natura exegerit aliquod medium ad turbas vitandas; non tamen exegit hoc medium divisionis determinatè; quatenus in tot hæc vel illa Regna. Non enim ex natura rei repugnabat Orbem terræ universum constare quadam Republica universali. utpotè quæ popularem dominatum vel Optimatum, vel unius Regis haberet; vel certè tanta Gentium ac Regnorum discretio nequaquam fuisset, præsertim ùt simpliciter necessaria, quantam videmus jam contingisse.

3tiò. *Commerciorum libera facultas*. nam & hæc facultas non est simpliciter necessaria ad hominis propriam felicitatem conservandam, etiamsi supposita peropagatione in immensum Generis humani. posset siquidem una & quæquè Respublica sine commercio per se consistere, non est itaquè *per se Juris Naturæ* ast *Juris Gentium*. Dictum est *per se*; per accidens enim potest inducere obligationem amoris naturalis, exempli causâ: in extrema caritate

ritate annonæ quâ laboraret *Hungaria:* ex lege amoris naturalis teneretur *Polonia* commercium permittere, etiamsi anteà priùs non permisisset. ad triticum asportandum, ne scilicet finitimum Regnum gravi miseria conficeretur.

4tò. *Bellum solemne.* hoc est quatenus continet denuntiationem & quosdam effectus; est Juris *Gentium.* Nequé enim amor naturaliter sibi debitus hoc requirit ad propriam felicitatem, posset enim *simpliciter & absolutè* bellum fieri sine denuntiatione, & indictione, ac non habere quosdam effectus.

5tò. *Repressaliæ.* quas vocant, ad jus Gentium spectant. *Jus* enim *Naturæ* non obligat nisi Successorem bonorum ad reddendam rationem facti alieni, exempli gratiâ si Pater meus injustè & graviter Titium vulneravit, ego hæres teneor mortuo Patre vulneratum curare. Contra verò. *Gentium consensû* est constitutum, ut pro eo, quod alteri Respublica debet, & nondum persolvit, subditorum bona veluti oppignorata ab altera Republica habeantur.

6tò.

6tò. *Servitus* proficiſcitur ex *jure Gentium*, namque communis utilitas requirebat, ut capti juſto bellô *ſervituti* ſatius addicerentur, quàm necarentur.

7mò. *Legatorum admiſsio & Jmmunitas*. non eſt *juris Naturæ*. Sive negotia commerciorum reſpiciat; sive *pacis* præſertim *publicæ*. poſſet enim. Gens alqua sibi ſoli vivere & aliorum commerciîs abſtinere, tum alio modo quàm *legatione* pacem curare. eſt itaque *Juris Gentium*.

8vo. *Pax* ad bellum relata: & in ſuis effectibus, Ratio ſiquidem *paciſcendi* quæ eſt. in oblivione malorum, reſtitutione bonorum & cæteris quæ pacem comitantur & conſequntur nonnisi ex *Gentium* voluntate conſtitui poterant, & quidem prout ad communem illarum utilitatem.

9nò. *Fœdera*. non ſunt abſolutæ necesſitatis in Genere humano. namq; ùt Gens quælibet. abſolutè sibi ſoli poteſt vivere; ita poteſt aliorum foederibûs nequaquam ſe ligare.

10.mò. tandem. *Jus transitûs*, quando non eſt juſta ratio excludendi peregrinos

regrinos & advenas. *Jus etiam sepulturæ* in hostibus interfectis, quum æquitatem naturalem contineat, & in mortuos sævire non deceat. Non tamen est absolutæ necessitatis hostes humo condere, neq; repugnat naturæ; cadavera hostium inhumata relinquere.

11.*mò.* *Jus Præscriptionis*. cùm ad pacem & quietem publicam retinendam pertineat; & hominum societatis intersit, semper aut diu incerta non esse rerum dominia, & aliquem esse litium finem, videri possit *Juris* esse *Naturæ*, Verùm *Præscriptio*. non est absolutè necessaria ad felicitatem hominum singulorum. Nihil enim definivit natura de quantitate temporis pro diversitate materiæ *præscriptionis*. de qualitate *bonæ fidei*, aut de cæteris conditionibus, est itaquè *Juris Gentium*.

12.*mò.* *Jus cudendæ Monetæ*. & valoris tribuendi est á jure Gentium & adligam earum, nequè enim valor monetæ est naturalis; sed commoditatis publicæ causâ substitutus est à Gentibus, in locum rerum; quæ anteà permutabantur

Origo

Origo siquidem monetarum nationibus fere quaquaversum omnibus opportunum valde inventum est, atqué anima commercii, tum rei œconomicæ. *Usus* illius per totum propè Orbem invaluit, origo tamen certa adsignari non potest. aliqui referunt illam usquê ad Nòemum. saltem in sacra scriptura apud antiquissimos Patriarchas reperiuntur vestigia *Siclorum*. *In Germania* prioribûs sœculis vix habebantur monetæ, nisi quas Romani attulerant in Provincias finitimas, in interioribus verò Provinciis simplex rerum permutatio vigebat fere usqué ad sœculum *X*. antiquissimi enim Germanorum nummi fere sunt ab *Ottone* Imperatore, qui ex una parte Nomen. OTTO. altera Crucem habent. Emergebant postmodùm *bracteati* idest nummi ex bracteis, adeò tenuibus, ut forma ex uno latetere impressa etiam in altero appareret. sed hoc monetarum genus sœculo *XV*. iterum exolevit. Cæterùm: Jus monetandi censebatur semper inter *Regalia*, privatus qui id usurpâsset; capitis damnabatur. Qui scrupulosiùs radices

dices verborum inquirunt; putant, qùod Moneta dicatur *à movendo* eò qùod moneat de bonitate & valore metalli. Nummus à Græco *nomos*. idem quod lex. eò quod ille à lege valorem suum habet. Pecunia ex opinione multorum antiquiorum sic dicitur; quia olim Lacedæmonii pecudum coriô forma publicâ significato uterentur. Meliùs dicitur nummus à Numa Rege Romano, qui primus monetas cupereas dedit. pecunia. quia olim varia pecudum capita eidem impressa erant. æs quia ex metallo fiebat; hinc ærarium.

Respectivè ad varias Gentes. de re Monetaria.

In China. non utuntur monetîs. sed lamellas argenteas habent de quibus juxta proportionem rei emendæ; rescindunt.

In Æthiopia. sal fossilis est locò pecuniæ minoris, sexaginta illius frustula juxta fodinas valent nummo aureô, quò longiùs dein à fodinis receditur, eò majoris illa frustula valent.

Ubivis fere Gentium materia Monetarum non alia esse consvevit; qùam qùod monetæ solent fieri ex metallo,

quia

quia hæc materia rara & pretiosa, proinde in parva quantitate multùm valet. Item: quia indivisibilis est in partes minutas & tamen diuturna, facilè transferri, facilè notìs publicìs insigniri potest, nequé tam facilè adulteratur, ast acceptam semel formam atq; mensuram constanter & fideliter servat.

Primariò sumitur aurum & argentum, sæpe etiam cuprum præsertim pro Monetis minoribus, imò hoc vix non omnibus monetis admiscetur, tum: quia aurum aut argentum purum tractari vix potest; tùm ut hôc additamentô sumptus officinæ monetariæ compensentur, prout admixtum cuprum sive admixtum argentum; habent suas denominationes.

In gravibus necessitatibus belli aut obsidionis leguntur fuisse etiam Monetæ ex charta, corio, stanno, confectæ; Aurum ponderatur per marcas. Marca habet 24. carattos. carattus habet 4. grana. granum 3. grena.6. faciunt ase minunciam igitur Marca habet 8. uncias sive sedecim semiuncias, aut dimidiam libram.

Aurum purissimum (quod tamen vix datur) dicitur aurum 24. carattorum; si unus carattus cupri vel argenti admixtus sit: dicitur aurum 23. carattor. Ex marca pura cudi solent 67. vel 68. ducati.

Argentum pariter ponderatur per marcas. marca simpliciter dividitur in 16. semiuncias, si argentum sit purissimum, dicitur argentum sexdecim semiunciarum, si una semiuncia cupri admixta sit: dicitur 15. semiunciarum, si duæ semiunciæ cupri admixtæ sint, dicitur 14. semiunciarum.

Norma sive Lex monetaria est, quæ pretium intrinsecum monetarum ita determinat; ut pateat, quot nummi cujuslibet classis ex una marca procudi possint, ne scilicet jus monetandi detorqueatur ad injustum lucrum & excessivum

Notatu hìc dignum est; qùod anteàqùam infelici consiliô & damno Regnorum totius fere Europæ infinito; argento æs in moneta admisceri in Germania primò & Bohemia coeptum est; Reges & Principes: illud prope duntaxat; qùod Ipsorum imaginibûs moneta sequuturæ temporum memoriæ signaretur,

retur, haud aliud lucrum *ex jure monetandi* referebant, verùm à tempore admisti metalli, quod initiô sœculi *XIV.* demum accidit, artifices monetales monetam pœnitus corrumpere, & pro antiqua argentea æream populis obtrudere, atque sic Ærarium publicum; longè ultra quàm privatorum singulorum reditus fraudare cœperunt.

In Polonia primus VLADISLAUS JAGELLO. *prope Czerwień* Annô 1422. *& sequenti.* Reipublicæ promisit, quòd sinè consensu communi Senatûs monetam pro Se & Filiis suis non vellit cudere & alìas cudentes puniet, ut per hoc damna & penuriam à subditis avertisset, de quo legere est apud *Herbur.* verb. *moneta seu pecunia.* Łaski. *fol.* 48. & 51. Quam etsi posteà Reges: monetarum cudendarum jus secundùm consilia & Commissiones ex Comitiis definitas; aliquoties exercuerunt, donec SIGISMUNDUS III. Rex ut gratiam Ordinibus faceret; *Constitutione Anni* 1632. *pag.* 3. Jus cudendæ monetæ Reipublicæ perpetuò cessit, quam legem Successor Ejus VLADISLAUS *in Pa-*

ctis Conventis pag. 13. ac deinde omnes ſequentes Reges approbârunt. Sub Interregno *Conſtitutio Anni* 1764*ti.* O mennicy i monecie. *quæ incipit.* Gdy widziemy iak ciężką ieſt Kraiowi ruiną narzut zagranicznych rozmaitych a fałſzywych monet: Ktorych wykorzenić bez właſney narodowey nie możemy, przeto zlecamy tymże uſtanowionym Radom *&c.* De re monetaria quid ſubinde lege ſancitum *in Comitiis Ordinariis*] *Anno* 1766*to.* ſub Sereniſſimo *STANISLAO AUGUSTO* moderno Regnante. *tit.* Uſtawa waloru i kurſu monet w kraiach Rzeczypoſpolitey. &c, *præſertim ibi.*→ Tym oſtatnim na cały Narod uciſkiem pobudzone Zkonfederowane Rzeczypoſpolitey Stany na Seymie Konwokacyinym 1764*tego* poſtanowiły: aby po ſkończeniu Bezkrolewia wſzelka zagraniczna Moneta przez bicie dobrey Kraiowey Monety wykorzeniona była. Zeby záś ta zbawienna dla dobra poſpolitego uſtawa prędſzy ſkutek wzięła; też Zkonfederowane Rzeczypoſpolitey Stany pokładaiąc zupełną ufność w Oycowſkiey Naſzey

około

około Dobra poſpolitego ſtaranności, *Jus cudendæ Monetæ*. niegdyś od Predeceſſora Náſzego ZYGMUNTA III. Rzeczypoſpolitey uſtąpione, *Nam zupełnie Samym do życia powierzyły*. Zaczym My zawdzięczaiąc tę Stanow. *&* *infra*. cum lege positiva de *pondere, grano, ſpecie & valore* cujuslibet monetæ ſufficienter docetur.

Quando quidem cujuslibet Gentium & terrarum nummi pretii rerum eminentis *finis* id exigit, ut ſeligatur in quacunqué (*demus*) Gente materia: nec nimis rara, vulgo obvia, nec uſu ac pretiô deſtituta, nec difficulter in quasvis partes divisibilis, nec juſtô fragilior, nec quæ difficiliùs cuſtodiri, vel ægrè nisi in quemvis locum transferri poſset: quia nimirum; si *rara* nimis eſſet, non ſufficeret hominibus, si *vulgo obvia*; nullius pretii eſſet, si *pretiô deſtitueretur*, non reciperetur ab omnibus, *si non in quasvis æquales partes dividi poſſet*; non obtineretur ex ea in commercio æqualitas, *si fragilior eſset*, vel uſû detereretur; poſſeſsores paulatim redderentur pauperiores,

res, deniqué si *nec commodè custodiretur & difficulter in quemvis locum transferretur*; idem ex ea maneret incommodum, quod commercia ante inventum nummi usum difficiliora reddidisse: facilè colligimus. Sicqué obinde jam *Carthaginensibus* pro nummo erat, quidquam pelliculæ exiguæ illigatum & publicè obsignatum, prout testatur Æschin. *dial. de divit. cap.* 34. *pag.* 78. *edit.* Petri Horrei. *Lacedæmoniis* pondus ferri & quidem inutilis. *Idem ibid. pag.*80. *Plutarch. Lycurg. pag.* 51. Aliis gentibus pro auro, argento & ære conchas de quo *Leo Afric. Lib.* 7. aliis grana & baccas, aliis mafsas salis adhibere placuit. *Pufendorf. de Jure Nat. & Gent. lib.* 5. §. 1. De corio, papyro, plumbo, aliisqué rebus in calamitate publica maximè obsessîs Urbibûs pro pecunia expensuatis, ùt recentiora vel saltim præsentis sœculi exempla prætermittamus, notum est *ex Seneca lib.* 5. *de benefic.* Ast hæc suo loco & tempore: ubi de *Merce, pretio rerum & Moneta* agetur; fusiùs tractabuntur.

13*tiò*. Ad *Jus Gentium* spectat; ne

ne hostes per sicarios dolo & proditione occidantur. 14*tò*. Fœdera Pacis & Induciarum, ùt jam dictum, quæ licètsi postquam inita sunt, ipso *Jure Naturæ* statim obstringant; ad institutionem tamen petitionemquè: *jure Gentium* sunt instituta.

15*tò*. Bonorum partitio.

Ad hæc referibiliter spectant minùs propriè accepti *Juris Gentium* sequentia exempla.

16.*tò*. Munitio Civitatum. 17.*mò*. *Permutatio rerum*; nequè enim sacra fert omnia tellus. 18.*vò*. Jus *postliminii*. quod est recuperatio omnium jurium captivitate amissorum: per reditum ad fines Imperii. 19.*nò*. Usus panìs pro cibo. 20.*mò*. Jura acquirendi bona atquè nonnulli alii contractus. 21.*mò*. Designatio certi statûs hominum ad offerenda DEO Sacrificia.

In totum addi potest: qùod jus istud obligat in conscientia, plus minùsvè, juxta materiæ gravitatem, majorem aut minorem.

Quinimò hujusce jùris violatio tantum apud omnes Gentes sceleris prodit

dit ut ejusdem violatores non modò culpam contrahant in *Divino Conspectu*, verùm ùt infames; & publicæ tranquillitatis hostes, reputentur.

Secundùm istius juris regulas dirimuntur lites & dissidia inter supremas Potestates, plura sunt jura Civilia in quocunqué statu, quem non transiliunt. Verùm quæ *Jure Gentium* invecta sunt, populos omnes obligant sinè ullo discrimine. Quare Principes supremæq; potestates, non modò proprii statûs, sed omnium populorum, quibuscum commercium & negotia habent; pacem, tranquillitatem felicitatemqué spectare; & cavere ejus perturbationem summoperè debent.

Jllud postremò *animadvertendum*, mutationi obnoxia esse(ùt dictum) ea quæ *jure Gentium* comprehenduntur. Mutari itaqué possunt, per non usum & desvetudinem, temperari; roborari quandoqué *Juris Civilis Decretis* apud unam Gentem, & non penes alteram, idqué ex eo: quia illa quæ hoc jure aut præcipiuntur aut prohibentur, intrinsecam bonitatem sive malitiam necessariam non

conti-

continent, prout continent ea quæ ſunt præcepta vel prohibita ex ſolo *Jure naturæ*. Et tamen: licèt omnia mutabilia ſint, re ipſa fieri *moraliter* nequit, ut omnia mutentur, imò quandoquè plura ita publicæ utilitati convenientanea ſunt & utilia, ut abſquè iis conſiſtere nequeant— Pax & tranquillitas publica.

DEUS præprimìs poteſt efficere; ut multa homini liceant, quæ anteà & alìas non licebant, non quidem: *naturalis juris* ſolvendo obligationem; ſed rem ipſam ſubtrahendo poteſtate Sua juris naturalis obligationi, quod quidem etiam Princeps quilibet quò ad ſubditos ſuos præſtare *aliquatenus* poteſt, Scilicet quum ambigere nemo poſsit *jus* DEI latiùs multò patere quàm creaturæ, quemadmodùm & multò amplius *jus* eſt Principis quàm privatorum civium: *jus* ſuum poteſt DEUS homini communicare, ſive eum juris ſui adminiſtrum, ac velutì instrumentum deligere. Ex quo facilè intelligitur: quomodò homini illi quidpiam liceat jure Divino; quod non liceret humano jure. Hac planè ratione potuerunt *Israëlitæ* abſquè

 omni

omni culpa pretiosas Ægyptiorum res auferre; hanc illis DEO potestatem faciente. (prout in sacra pagina *Exodi cap.* 11. perhibetur) Qui velut absolutus omnium Dominus illarum rerum dominium transferre in illos potuit, ac velut Supremus Judex debitam eisdem ab *Ægyptiis* restitutionem procurare. Hac quoq; ratione licebat *Abrahamo* filium suum *Jsaac* tametsi innocentem occidere; de quo *Gen: cap:* 22. ℣. 2. eò: qùod ita Dominus vitæ & necis imperâsset, quo certè in casu adeò à jure naturæ lædendo alienus fuit *Abraham*, ut maximè contra ipsum egisset; si detrectâsset reddere, quod erat DEI, DEO. Sic etiam ubi viget *humana justicia*. licet ministro publica authoritate occidere gravis criminis reos; quod non liceret ipsi auctoritate privata, hujusmodi interfectiones non veniunt *homicidii*, verùm simplici *necis* nomine. Quemadmodùm nequé ablatio rei, legitima authorite facta furtum est, res enim eo ipso desinit esse alena. qùod eam, alteri accipiendi, justa accedit potestas sive facultas. In hisce ergo aliisvé similibus casibus

non

non mutatur jus aut minuitur, verùm *jus* majus atque superius impletur.

Posse quoque alia ratione cessare legem sive ejus obligationem. gravioris alterius legis collisione; est, qùam ut hoc loci explicatione indigeat. Alia siquidem ratio est. qua legis obligatio seu potiùs lex ipsa cessat, est mutatio aliqua quâ nempe *materia* legi subtrahitur, sicque ad legem spectare desinit, eò: qùod aliqua accedit *circumstantia* sive *conditio*. secundùm quam à lege minimè respicitur. Sit in exemplo: lex de *Deposito* reddendo. aliquando non urget. si is, qui deposuit, re ipsa; in sui aliorumue perniciem: abuti velle dignoscatur. *vel* qùodsi. ei, qui recepit, auctoritate superiore interdicatur restitutio. Ad hoc autem. ut pateat in his & similibus. *num peculiares actiones adversentur nec ne? legi.* conferendæ sunt cum regula *universali* & omnimode necessaria = *injuriam nulli esse faciendam*. quod quidem solum inhibitum per se est à jure naturali. Peculiares verò actiones cujusmodi sunt = *alienæ rei acceptio, non redditio rei depositæ. &c.* eatenus prohibentur; quatenus

in alterum injuriam continent, dempta autem ratione injuriæ cur hæ actiones prohibeantur? nihil est. Potest tamen quandoqué & accipi res aliena & non reddi credita, quin ulla alteri irrogetur injuria. ùt patet in casibus supra allatis. Nequé enim cuiquam irrogatur injuria. dum authoritate superiore & transferente dominium, quidpiam accipitur & occupatur, eò: quòd superiore transferente dominium desinit res illa esse alterius. vel. saltim illius dominus *non est rationabiliter invitus*. In his ergo casibus quædam (*ùt summum*) contingit *juris naturalis* mutationis imago, re ipsa tamen *mutatio* nulla est, salvô tectoqué: quod ab ipso jure *per se* intenditur; Ast hæc sunt ex incidenti *pro jure naturæ* adducta.

Hanc *mutationem Materiæ* non procedere in eo casu, quo jus naturæ respicit materiam arbitrio seu potestati Divinæ haud subjectam, qualis est: *idololatria*, *mendacium*, aliaqué in se *radicaliter* inhonesta, propter *essentialem* repugnantiam cum ratione, ac fine creaturæ rationali proposito, per se clarum

est.

eſt. Hæc enim si aliis in circumſtantiis DEUS poſset facere *licita*; Se Ipſum poſset facere defectuoſum, quod implicat. Indequé colligitur differentia inter *præcepta*, primæ & ſecundæ Tabulæ *Moſaica*, illa nequé mutationem *impropriam* ſeu *in materia*, recipere poſsunt, hæc, ſaltem pleraqué. ejusmodi *mutationis* ſunt capacia.

23. *Imperia* etiam *juris Gentium* eſse ſuſtinet Schwarz. *in prolegomen. de orig. & progreſsu Jur. Nat. & Gen.* vel ex eo: quòd sint toti humano Generi communia, atqué ex ipsis rerum naturis primaqué eorum inſtitutione oriunda, unde: *Philosophus lib.* 1. *Polit. cap.* 3. fatetur, *nil eſse tam aptum ad jus & conditionem naturæ quam Imperium.* adeò ut *Cicerone* teste. *de legibus. in principio.* sine illo. nec domus ulla, nec Civitas, nec Genus hominum, nec Mundus ſtare poſset. Profectò uti rectè animadvertit *Pater Molina.* etiamsi in novo orbe (*quem vocant*) detecti occidentales populi nihil fere nobiscum commune habent. quandam tamen *Reipublicæ formam* ſervare comperti sunt, sic in *America* saltim Duces habent Capitaneos

neos, *Mexicani* Reges statuuntur electione, *Peruani* etiam succesſione: uti ex historicis eſt compertum.

§. 6*tus*.

Refelluntur quorundam ſententiæ, circa adfectiones in jure Gentium.

Nam. *primò*. Nulla poteſt adferri ratio, cur *materia juris Gentium* eſſe debeat omnino diversa *à materia juris Naturæ*; quum jura haud neceſsariò diſcriminentur *ratione materiæ*, ſed *formæ*. ſeu ex diverſo obligationis fonte, ùt in confeſso apud omnes est, nemo siquidem nescit eandem actionem quandoqué præcipi aut prohiberi multiplici jure, sic: *in exemplo*. homicidium quum jure *Naturæ*, tum jure *Civili* ne modò *Divino* interdicitur. Eccur igitur aliquid & contra jus *naturale* & contra jus *Gentium* eſse non poſsit adeòqué utriusqué materia juris? Profectò nulla hac de re dubitatio ſubiit animum veterum Romanorum Juris = consultorum, qui propterea dixerunt rem eandem nunc eſse juris *Naturæ* nunc verò juris *Gentium*; & dum hoc ſecundum definirent. vel de eo ſermonem haberent, quandoqué earum

rerum

rerum afferebant exemplum, quæ procul dubio ad jus pertinent naturale. Neque ex eo: quòd ita se gesserint; censendi sunt vel utrumque confudisse, vel alterutrum eliminâsse: sed ratum apud ipsos fuisse, eandem *materiam* ad jura diversa *ratione* tamen *diversa*, posse spectare. Quemadmodùm verò *materia* juris Gentium non est necessariò à *materia* juris naturalis diversa, ita nec eadem *necessariò*: quod solùm ille in dubium vocaverit, qui impossibile censeat, plures gentes in præcipienda aut vetanda re aliqua consentire, quæ juris naturæ non sit. Qui autem hoc neget, apertè falliur ipsique experientiæ & facto repugnat, modò ille consensus ita intelligatur ùt insinuatum est §. 1*mô*.

Secundò. Immeritò nonnulli contendunt *jus Gentium* omnino *universale* esse debere, nihilque ad hujusmodi jus pertinere, nisi sit lex vel consvetudo apud omnes omnino obtinens gentes. Cur enim adeò *universale* esse debeat? sanè non videtur exigi. Perfectam hanc *universalitatem* certè non exigit ipsius nominis ratio; dicitur enim *jus Gentium*

non

non tamen: *omnium Gentium*: nequé *universalitas* illa agnita fuit *ut necessaria* à veteribus Jurisconsultis Romanis, qui ejusmodi jus explicantes illud esse dixerunt, quod Gentes (*non quod omnes Gentes*) exigente necessitate sibi constituerunt: nequé demum *universalitas* illa ad ingerendam obligationem huic juri convenientem tantopere requiritur. Postremò: qui omnimodam postulat *universalitatem*, is nunquam asserere poterit quidquam esse de *jure Gentium*, cùm scire nullatenus possit, aliquid, re ipsa, esse, apud *omnes omnino gentes*, vel Lege aliqua vel consvetudine constitutum. Itaqué ut aliquid juris Gentium esse dicatur, satìs erit, si apud plerasqué, vel multas præsertim politiores gentes (nam mores hominum barbarorum meritò negliguntur.) vigeat lex aliqua, vel aliqua consvetudo. Hinc: non unum sed plura censentur in Orbe terrarum *jura Gentium* agnosci posse, atqué distingui. *exgr.* juris Gentium *Europæum, Asiaticum, Americanum.* &c. si tamen constaret, Gentes omnes Europæas vel Americanas in aliquibus præscri-
bendis,

bendis seu consvetudine, usuqué firmandis consensisse. Imò & in qualibet Mundi parte (*puta*) *Europa vel Asia*, viget propemodùm non unum, sed multiplex jus Gentium, cùm ex gentibus *ex gr. Asiaticis*, aliæ in una; aliæ in alia lege aut consvetudine convenire potuerint. Quid demum si dixerimus dari jus Gentium posse, cùm in ordine ad plures, tum etiam in ordine ad unicam gentem, illudqué & *jure naturæ* & à jure *Civili* diversam; proinde generis ejusdem cum jure *Gentium*? Jus istud admitti colligitur tunc, quando in pluribus Civitatibus ejusdem nationis habetur lex aliqua vel consvetudo communis & arbitraria; non jam enim jus illud non erit propriè *civile*, cùm istud intrà unius Civitatis terminos concludatur. Si dicatur illud *Civile* quidem esse sed pluribus Civitatibus seu integræ nationi commune; solùm de nomine disputatio erit: eadem quippe ratione licebit dicere unicuiqué, & ipsum jus *Gentium* nihil aliud esse præter jus *Civile* pluribus gentibus populisqué commune; proinde non omnino improbanda

banda eſt eorum opinio, qui totum jus dividunt *in naturale & Civile*; hoc verò in *peculiare & commune* nimirum uni vel pluribus Civitatibus Gentibusqué conveniens: quod posterius peculiarî vocabulo *jus Gentium* vocetur. Sed congruentior eſſe videtur trita juris partitio in *naturale & positivum*. ſeu arbitrarium hoc verò: in jus *Gentium & jus Civile*. Nam poſtrema hæc appellatio per ſe denotat, jus illud, quod proprium eſt alicujus Civitatis. Et hæc de juris Gentium *univerſalitate*.

Quò ad tertium. Obligationem iſtiusce juris propriam pleriqué perperam putant, eandem ex communi aliquo Superiore deſcendere, qui jurisdictionem habeat sive dominium in eas omnes quas *jus Gentium* complectitur Gentes; quemadmodûm peculiaris Superior dominium habet in Civitatem ſeu Cives quorum *jus Civile* præſtituit. Ex qua falſa hypothesi ortum eſt, qùod aliqui fruſtra communem hunc Superiorem invenire tentaverint: alii verò Superiorem hujusmodi non invenientes; confuderunt *jus Gentium* cum *naturali* Jure, vel cum

jure

jure *Civili* aut illud prorſus è medio ſuſtulerunt. Porro nequaquam incidiſſent in hunc ſcopulum, si animadvertiſſent hanc obligationem non ex aliquo Superiore proficiſci; ſed singularum gentium, vel singulorum in propriam gentem imperantium authoritate invectam fuiſſe. ſcilicet: unaquæqué Gens vel sibi ipsi hanc obligationem impoſuit, per conſvetudinem uſumqué diuturnum, vel illam à proprio Superiore ſuſcepit per legem expreſſam aut tacitam, adeòqué quælibet sigillatim et abſqué ulla ab aliis gentibus dependentia, *jure Gentium*, quod in illa viget obſtrigitur: *Ex quo ſequitur*, unamquamqué Gentem propria auctoritate poſſe mutare vel tollere omnino *jus Gentium*, quò ad ipſam ſpectat: nisi tamen *pactum* aliquod vel *explicité* vel *implicité* initum cum aliis gentibus fuerit: cujusmodi eſſe ſolet præſertim inter finitimas Gentes, in iis, quæ pertinent ad *commercium* reciprocum. eo ipſo. quòd diu commercium tali modô exercuerint, vel certas aliquas conditiones ſervârint. In hoc ſanè vel alio simili caſu nequit una gens, vel ille, qui præsidet à conſvetu-

ſvetudine & more perpetuò ſervato recedere, nisi, ùt summùm: alia parte ,, præmonita. Quod ut clariùs pateat, sint in exemplum omnes *Europæ* gentes (de aliis præſertim barbaris gentibus apud quas aliæ conſvetudines Juraqué vigent, modò non diſceptatur) in id conſensiſſe, ne armîs venenô infectis in bello uterentur, nequé aliam aggrederentur gentem nisi ante priùs indicto bellô; nequé demum: pugnâ captos interficerent; in his casibus nulli *Europææ* genti liceret hujusmodi *Jus gentium* infringere, *aut tacitam pactionem* violare, nisi altera parte, qua cum agendum eſſet; præmonita. Diuturna siquidem conſvetudo belli ita gerendi inter *Europæos* præſertim *Chriſtianos*, non potuit non inducere pactum implicitum, proinde & obligationem aliquam prædictas conditiones ſervandi. Fatendum tamen eſt; ejusmodi obligationem *juris Gentium* propropriam non eſſe, ſed *juris Naturæ*, quod: *conventiones & pacta* sive *explicita* sive *implicita* accurate ſervanda eſſe præſcribit. Quanquam: in his aliisvé similibus, quæ pertinere *ad jus Gentium*, vulgò

vulgò censentur, obligatio, illa servandi, fortasse non fluat ex sola implicita conventione, vel *pacto*, sed etiam ex *re ipsa*: namq; facta etiam *hypothesi*, quòd injustum non esset gerere bellum priùs non indictum, vel armîs veneno imbutis, vel hominibus in bello captis vitam adimere; tamen maximè dedecet, & nimiam sapit crudelitatem uti armîs illis, quorum, vel leviora vulnera: mortalia sint. atq; insanabilia. Sic etiam *captivos* occidere, ùt minimùm, est *summum jus* exercere, quod: *summa injuria* vocacari solet: demum non indicere bellum gerendum; est aditum *reconciliationi* præcludere, quæ vel *excusatione* legitima, vel voluntaria *satisfactione* iniri facilè posset: adeòqué bellum non necessarium vitari, jam verò compertum est, ejusmodi obligationem manare non ex *jure Gentium* duntaxat, sed ex ipso *jure Naturæ*. Ex quo consequitur, Gentes, vel Supremum illarum Legislatorem, nullo *Juris Gentium* vinculô obstringi cùm propria authoritate mütare illud vel abrogare; pœnitus valeant. Restat igitur: peculiares duntaxat alicujus gentis

per-

perſonas vel qui earum Legislatori ſubduntur, propriè *jure Gentium* adſtringi, cùm iſti ſolùm auctoritati quæ fons obligationis eſt, ſubjiciantur. Legislatori autem ſupremo, si jus iſtud non ſervet, ſolùm objici exprobrariqué poteſt, eum, minimé conformari conſvetudini, ac moribus apud plerasqué gentes vel ſaltim apud cultiores obtinentibus vel ex *tacita* aliqua *conventione* recedere: quod sane dignum reprehensione cenſet. *Joann. Franciſcus Finetti Tom.* 2dò: *Lib.* 12. *cap.* 5. *ad finem.*

Chrlsto * Nazaræo;
QVI transfert regna atqVé
ConſtItVIt; Dat ſapIentIaM**
ſapIentIbVs,
honor sIt & GLorIa.

* Matth. *cap.* 2. *ver. ult.* ** Daniel. *cap.* 2. *ver.* 21.

Litteratura
Æsthetica,
Græca,
Historia naturalis
Botanica.
Technologia.
Historia Austriaca.
1. Religio.

8 obyczaj Szeligay

Czytałem całe to dziełko

o prawie Narodów

[illegible]

